cipio designaret. nec solui legem sed impleri. Neque enim per legem sed
uerbo factus est mundus. sicut legimus. uerbo domini celi firmati sunt. Non
soluitur ergo lex sed impletur. ut fiat renouatio hominis iam labentis.
Unde et apostolus ait. Expoliantes uos ueterem hominem. induite nouum
qui secundum deum creatus est. Et bene sabbato cepit. ut ipsum se ostende
ret creatorem qui opera operibus intexerat. et prosequeretur opus quod ipse
iam ceperat. ut si domum faber renouare disponat. non a fundamentis
sed a culminibus incipit soluere uetustatem. Itaque ibi prius manum
admouet. ubi ante desierat. deinde a minoribus incipit. ut ad
maiora perueniat. Liberare a demone et homines sed in uerbo dei pos
sunt. resurrectionem mortuis imperare. diuine solius est pote
statis. Hec quoque mouere debet. quod iesu nazareni nomen in
libro hoc diabolus dixisse primus inducitur. Nec enim ab eo christus
accepit nomen. quod de celo angelus ad uirginem detulit. Est enim huius
impudentie. ut inter homines aliquid primus usurpet. et ad homi
nes quasi nouum deferat. quo terrorem sue potestatis incutiat. Denique
et in genesi primus deum homini nuncupauit. Sic enim habes quod
dixit diabolus (ait serpens) mulieri. Quid utique dixit deus. ne edatis ab omni li
gno. Utique qui deceptus a diabolo est. sanatus a christo. Sequere cetera
et euangelice lectionis disce mysteria. atque in duorum sanitate pu
blice sacramentum salutis agnosce. Sicut enim in adam omnes moriun
tur. ita et in christo omnes uiuificabuntur. Quis est ille qui in sinagoga spiritum
demonis habebat immundum. nisi populus iudeorum. qui quasi serpen
tinis spiris reuinctus et innodatus diaboli laqueis. simulatam cor
poris munditiam interioris mentis sordibus inquinabat. Et bene in
sinagoga homo qui erat. spiritum immundum habebat. quia spiritum sanctum
amiserat. Introierat diabolus. unde christus exierat. Simul
ostenditur natura diaboli non improba. opera iniqua. Nam qui superiorem
naturam deum esse fatetur. opera negat. et in hoc apparet eius nequitia et
improbitas iudeorum. quod ita populo uesanie cecitatem mentis effu